

EXAMEN CENSURÆ

pinionem deposuisse, quam per malevolorum, aut certè errantium hominum calumniam de me, ut audio, suscepit, quod librum scripserim, qui ad Magistratus auctoritatem convellendam ac labefactandam pertineat, quo nihil est, nec esse potest à veritate magis alienum. In eo siquidem libro (hunc enim isti sine dubio intelligunt) quo Jacobo Paleologo pro Racoviensibus respondetur, cuius me scriptorem fuisse nemini unquam negavi, nec de Magistratus auctoritate revera agitur, sed de Christianorum hominum privatorum officio, & tamen ea dicuntur, quæ ad eam quam maxime confirmandam pertinere possunt. Nec sanè quemquam esse hodie existimo, qui Magistratui plus tribuat, quam vel ego tribuo, vel in eo libro à me tributum fuit. Id mihi compertissimum est me plus illi, ex Sacrarum Literarum (ni fallor) sensu, deferre, quam vel jure gentium aut civili, vel etiam communi Theologorum sententia deferendum sit. Sed parum refert quid hac de re sit. Quod de Clariss. viro M. Episcopio subiicit id vanissimum est. Tractatus ejus quem inscripsit, *An Christiano homini Magistratum gerere liceat*, in quo prolixè disputat Christiano Magistratum gerenti licere etiam capitalibus suppliciis uti, satis ipsum tuetur contra hanc criminationem, quam sola genuit suspicandi libido, & cavillatio nullo fundamento nixa fovit aluitq;

M. Episcopij
Tractatus,
*An Christiano
homini liceat
gerere Ma-
gistratum.*

IN CENSURAM CAPITIS XIII.

De directione & abnegatione nostri ipforum, deq; tolerantia crucis Christi.

IN hoc Capite xiiij. nihil in specie censetur, sed generatim tantum hoc unum, Quod, cum Remonstrantes antecedenti Cap. explicarint omnes virtutes, quas ad Decalogum referendas judicant, Censor nescire se dicat, Quid sibi velint, quod hoc capite alia virtutum Christianarum genera proponant, quæ præter hæc (ut loquuntur) præcepta, Decalogo nimirum comprehensa requiri adserunt. Nisi fortè, inquit, ut cum Anabaptistis & Socinianis ostendant, se sentire legem Decalogi non esse perfectam vitæ Christianæ normam, sed Christum sub Evangelio perfectiorem vivendi regulam discipulis suis tradidisse. At I. Censura hæc non tam in Remonstrantes eorumq; Confessionē, quam in plerosq; Refor-

Ostenditur
Censurā hanc
non in Remō-

Refor-